

Bibliothèque numérique

medic@

**Le Monnier, François - candidat /
Bordenave, Toussaint - président. - De
oedemate**

1765.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°8



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0008](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x02x0008)

DE ŒDEMATE. THESES

ANATOMICO - CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & Præsidi M. TUSSANO
BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro,
Scholarum antiquo Præposito, Professore Regio, Regiæ
Chirurgorum Academiæ Consiliario, & pro commercio
extraneo Secretario, Academiæ Florentinæ socio,
tueri conabitur, FRANCISCUS LE MONNIER, *Parisiinus*,
in almâ Universitate Parisiensi artium liberalium Ma-
gister : *Theseos author*.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS;

*Die Sabbati, 7^a. mensis Septembris, à sesqui-secundâ post meridiem ad
septimam. Anno R. S. H. 1765.*

P R O A C T U P U B L I C O

E T


MAGISTERII LAUREA;



Typis P. A. L. L E P R I E U R, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXV.

H





D. O. M.
 DE ŒDEIMATE.
 THESES
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



TA constitutum est à naturâ corpus humanum, ut sanitate non semper gaudeat. Modò turbatur ordo, quo diversa hujus-ce mirandæ machinæ instrumenta moventur; languent & contabescunt corporis functiones; inordinatè agitur œconomia animalis: aucto sanguinis circuitu, velociùs impelluntur liquores, intrâ vasorum angustias ingurgitantur, hærent, mutantur; imminuto ejusdem motu, stagnant, & morâ varias morborum ansas producant: sic corpus unde quâque premit innumera malorum caterva.

INTER morbos ab imminuto fluidorum motu frequentius oritur œdema; de ipso dicturi tegumentorum communium anatomem exponemus.

A

TEGUMENTA communia duo tantum numerantur ; cutis & membrana adiposa ; exterior illa totum corporis habitum obtegit ; pro diversis partibus vel densior , vel rarior est : hæc verò tenuior priori substernitur.

CUTIM quadruplici partium serie conflare existimant Anatomici. Prima interior corium sive cutis dicitur : hæc membrana fortis , crassa pro diversitate partium & animalium ; omnium generum vasculis perfusa , copiosa nervis , extensionis & contractionis capax , fibris tendineis , vasculosis , nervosis mirè ad modum complicatis constat.

SUPER exteriorem cutis partem assurgunt papillæ , quæ ab expansione nervorum cutis producuntur : sublati cuticulâ , textu que reticulari , conspiciuntur in linguâ ; difficilius deteguntur in apice digitorum ; in totâ verò corporis superficie per analogiam & usus demonstrantur. Hæ autem papillæ , in linguâ animalium facilius conspicuæ , multum inter se differunt ordine & figurâ.

PARS tertia vocatur reticulum cutaneum , vel corpus reticulare Malpighii : ipsius substantia mollis , mucilaginosâ , coherens , calore concrefcens , innumeris foraminulis pertusa , cuticulæ subjacens , huicque firmiter adhærens , papillarum basin investiens , ipsisque recipiendis accommodata. Dubium est utrum potius à cute quam à papillis & cuticulâ pendeat , vel membranâ ab aliis distinctam efformet : nam ex nervorum exuviis natam esse putant alii ; alii ex fibrillis diversimodè intertextis per cutis exteriora excurrentibus conflare volunt ; clarissimus Winslow ab extremis minutissimorum capillarum propaginibus efformari existimat. Ipsi color hominum , & præcipuè nigrities Æthiopum , adscribuntur.

Hic mirandus cutis apparatus , tenuissimâ membranâ contegitur ; hinc cuticula seu epidermis , vel juxta veteres cutis efflorescentia. Plus minùs ve crassa pro diversis partibus , totum corpus ambiens , cuti firmiter adhærens , magis aut minùs pellucida , nullo sensu donata , innumeris perforata poris , minutissimis lamellis , quasi squammis arcè tamen coherentibus , constat. Attactu rudiori , compressione , calore inspissatur.

EXTERIUS fulci reperiuntur ibi profundiores , leviores ibi ; in apice digitorum spirales.

§
EA est ab Anatomicis descripta cutis structura ; verum si attentius consideretur ea pars cutis , quæ corium dicitur , quando vel aëre distenditur in Emphysemate , vel aquâ perfunditur in Œdemate , tunc in textum cellularem resolvi patet. Corium ergo textus cellularis est , & ab eo tantum discrepat , quod lamellis firmitus inter se coherentibus , constituatur.

DUM corpus obtegit cutis , tactum etiam præstat per totum corporis ambitum , tamen in apice digitorum præsertim annotandum ; huic sensationi præ cæteris dicantur papillæ , cui etiam famulantur variæ cutis partes ; dum enim papillas ambit , sustinet reticulare corpus , facilius afficiuntur extrema nervorum ; tactum moderatur cuticula ; hæc sublatâ sequitur sensatio molesta ; densatâ verò tactus deperditur.

ALTERUM tegumentum commune , membranæ adiposæ nomine donatur.

TEXTURA ipsius membranacea , diversimodè intricata , per plurimos loculos habens , diversæ magnitudinis , inter se communicantes. Crassities varia à multiplici foliorum serie pendet : illud textum cuti firmiter adhæret , musculos generatim pervadit , eorum fibras complectitur , ad interiora progreditur , & cum membranis abdomen & thoracem vestientibus jungitur : denique per totum corpus extenditur. Hæc probant disquisitio anatomica & experientia.

IN cellulis succus vel humor oleosus reperitur , majori vel minori liquiditate donatus , prout in his vel illis cellulis consideratur.

CELLULAS plurima perreptant vasa sanguifera folliculos adeuntia ; ex his oriuntur ductus peculiare quibus secernitur humor iste oleosus , quo cutis à frigoris sævitiâ defenditur , musculorum aliarum que partium flexio servatur ; intrâ cellulas depositus humor loca vacua replet , pulchritudini intervit ; motum faciliorem præstat , dolorificum attritum prohibet , ut in plantis pedum , volis manuum : denique penuriæ tempore , corpori alimenta præbet.

§. II.

TUMOR mollis , pallidus , frigidus , tactui cedens , sæpius absque sensu , aut cum dolore tensivo tantum , à sero sanguinis ingurgitato vel effuso formatus , Œdema dicitur.

Huiusce tumoris diversa natura distinctioni aditum faci-

A ij

lem præbet; nam *Œdema*, vel est simplex, si à parte tantum serosâ producitur, vel præsentia aliorum apostematum complicatur, unde nomen apostematis retinet, verbi gratia, *Œdema erysipelatosum*, *Œdema phlegmonosum*; nili præeat sensibilis affectio, primitivum; subsequens verò habetur, si aliquo morbo antea laboraverit æger. Quod unam vel etiam plures partes occupat, privatum dicitur, & *Œdematis* nomen retinet; totum verò corporis habitum afficiens, seu universale, *anasarca*, seu *leucophlegmatia* audit.

PARS corporis quæ hoc-ce morbo afficitur, vim elasticam aliquando servat, unde post compressionem, digito factam, pristinum ferè statum obtinet; alias mollitie donatur, & illâ vi elasticâ privatur; hinc alia *Œdematis* species; prior nomine ingurgitationis, altera effusionis seu infiltrationis designari possunt: in priori casu intrâ vasa propria; in altero extrâ vasa efformatur *Œdema*.

Non una ergò eademque hujus-ce mali sedes, idèoque in textu cellulari non semper repetenda.

In vasis lymphaticis abundantia partis serosæ & stagnatio, vel ejus in textum cellularem infiltratio, statuunt causam morbi proximam.

HANC autem seri stasim, aut infiltrationem producunt plurimæ causæ remotæ, quæ sunt tum internæ, ut copia seri, fluidorum inspissatio, aut dissolutio, compressio & elaterii vasorum imminutio: tum externæ, ut palustrum locorum vicinia, frigus acre & humidius, vigiliæ, alimentorum viscosæ & glutinosæ indolis nimius usus, ligaturæ & compressiones externæ, strangulatio ab inflammatione membranarum, aut aponevrosium, motus nimius, quies immoderata, aliæque per plurimæ.

ŒDEMATIS naturam multiplex signorum series indicat; varia pro variâ specie.

SIGNA commemorativa hîc non omittantur, nam inde diagnostica & prognostica facilius elucescunt. Si enim tumor mollis, pallidus, tactui cedens, absque sensu, partis gravitas, cutis plus minusve tensa signa diagnostica censentur; tamen ex cognitis rebus morbum antecedentibus, deducitur *Œdematis* species, causæ dilucidantur, morbi stadia evolvuntur; sic accuratius explanatâ morbi naturâ, media Therapeutica certius & utiliùs applicantur. A parte affectâ, morbi causâ, ætate,

viribus ægri, temporibus & exitu Œdematis deducenda est prognosis.

SUA sunt Œdemati tempora, principium scilicet, incrementum, status & decrementum : at prout diversimodè percurruntur illa tempora varium finem obtinet : hinc si lymphæ stagnans vias circulationis remeet, symptomatum minutione, resolutio : si aucto sanguinis motu in parte oriatur inflammatio, quandoque, licet rariùs, sequitur suppuratio : si mors partis eveniat, gangræna : si, humore subtiliori evanescente, materies crassior remaneat, induratio : si, vasorum viam subito repetat materia, delitescencia. Inter hos exitus, frequentior est resolutio ; sæpe accidit gangræna ; raro fit suppuratio legitima. Resolutio ergò, quantum potis est, tentanda ; præcavendæ que suppuratio & gangræna. Hinc, præter indicationes generales, prodiverso Œdematis exitu, varia etiam adhibenda curationis norma.

Tria in œdematis curatione observanda veniunt :

1°. Exitum facilem serosæ parti præbere.

2°. Omnes causas quibus humor affluit, vel illius reditus impeditur, tollere.

3°. Partes corroborare, tum ut humor stagnans expellatur, tum ut novi humoris affluxus impediatur.

I. PARTI serosæ stagnanti exitus conciliatur per urinas, per alvum aut sudores.

URINAS promovent plantæ diureticiæ, ut aquifolium, enula campana, eryngium, fructus alkekengi, &c. ; nitrum purificatum, crystallum minerale, sal mirabile Glauberi, nec non arcanum duplicatum, minori dosi administratum, millepedes, aliaque ; quibus ptisanæ, boli, succi, opiata componuntur,

PURGANTIA hydragoga alvum relaxant ; sorbitiones viperinæ, ptisana cum milio & caricis composita, sarsaparillæ, sassaparilæ, guiaci, decocta sudores provocant. Per hanc aut illam viam, quandoque per plures, simul, prout fert morbi natura, aut ægrotantis indoles, evacuatio sollicitanda.

II. LICET sapiùs remediis modò præscriptis feliciter cedat Œdema, præsertim à causâ internâ ortum, siquidem his remouentur morbi causæ, cum tamen quandoque à vitio partis pendeat, fibræque nimium laxæ sero stagnanti moram præbeant, tunc utiliter applicantur, decoctum origani, thymi,

salicæ, salviæ cum vino vel cum aquâ cui adjungitur paululum aquæ vitæ, aut spiritûs vini; si serum crassius & inspissatum partis ingurgitationem offerat, tunc competunt ressolventia spirituosa, ut aqua vitæ camphorata, vel sola vel cum sale ammoniaco immixta, sarmenti lixivium, aquæ thermales, &c. hæc autem non adhibeantur, nisi præeant remedia interna, quibus serum redundans, foras eliminetur.

TANTA est quandòque partis ingurgitatio, ut vasa distensa atoniâ afficiantur, serumque stagnans repellere nequeant; tunc magis ac magis pars ingurgitata distenditur, rupturæ que videtur proxima. Cum autem rupturam sæpiùs sequatur gangræna, hanc præcavere artis est. Ad hunc finem præstant leviores incisiones hic & illic institutæ, quibus cellulæ tantùm ad superficiem aperiuntur; his gradatim evacuatur serum, applicatisque spirituosius, aut resolventibus, tonus partis restituitur. Scarificationes, aliæve profundiores incisiones sedulò vitentur; ex his enim subitò collabuntur partes, actioneque vitali orbata, gangrænâ afficiuntur.

ŒDEMA ab inflammatione membranarum subsequens, sanguinis missione, topicisque emollientibus, laxantibus, tractandum. Si adsit strangulatio in parte à membranis aut aponevrosibus inflammatis, competunt profundiores incisiones; tunc frustra in usum vocarentur ressolventia, aut spirituosa; modò accidentia pejora aut gangræna sequerentur. Ligaturæ aut compressiones, si adsint, removendæ. Attentè ergò discutiendæ singulæ Œdematis causæ, ut morbus feliciter debelletur.

III. EVANESCENTE fero, pro tertiâ indicatione, corroborantia adhibenda, ut tomentationes aromaticæ cum vino, aqua calcis, aqua vitæ; cataplasmata cum foliis sambuci spiritu vini irroratis; vel cum pulpâ asphodeles, cucumeris sylvestris; cataplasmata corroborantia, astringentia, aliæque vasorum actionem stimulantia, frictiones exteriores, & calidæ, motus moderatus. Alimenta corroborantia, carnes assatæ, potus generosi, pro morbi & ægrotantis statu in Œdematis curatione non omittantur.

FINIS.